

E P I S T O L A.

tem dum huic operi incumbo, mihi literæ à Paulo Ma-
nutio afferuntur. Viro non modo eruditione admirabi-
li, sed etiam ingenio planè singulari prædicto, in quibus,
quemadmodum consuetudo nostra fert, propter eius er-
ga me benevolentiam, meumq; erga ipsum studium insti-
tuta, mihi cùm de præstantissimis alijs suis consilijs, tum
etiam de libro de legibus propediem edendo, scribebat.
Qua re cognita, anceps me, ijs de causis quas quiuis sua-
pte sponte intelligit, cogitatio suspensum incertumq; te-
nuit: dum amicitiæ nostræ nihil magis consentaneū esse
statui, quām humaniter ei dubitationem meam aperire,
ut si ei uideretur, scriptum illud meum extinguerē, neq;
unquam in manus hominum peruenire sinerem. Respo-
det ille pro sua singulari humanitate comiter, si binon
modò nō ingratum, sed etiam iucundissimū fore, si liber
ederetur. multaq; in hanc sententiam, quæ non tam ex
iudicio, quām benevolentia profecta esse facile intellige-
bam. Ita liber typographo missus, festinanter, instante
nimirum Fræcfordiensi mercatu, impressus, eoq; depor-
tatus, præstantissimum Pauli Manutij & insigne opus,
ijsdem in comitijs honores iam omnes sic assecutū offen-
dit, ut huic tamen nostro gratiæ non nihil relinqueret.
Sic enim à plerisq; exceptus est, ut nulla propemodum
exempla in alterum mercatū typographo superessent,
nonnulliq; de illo imprimendo librarioli consilium ini-
rent. **Qua** de cauſa faciendum iam putavi, ut alteram
eiusdem libri editionem his nundinis adornarem: quam
tum ex diuturniore ueterum auctorum obseruatione,
tum uero ex Manutiani libri lectione iucundissima me-
liorem